



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XXXVIII. De Duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIO XXXVIII.

De Duratione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Duratio: & an distinguatur à re durante.

I.
An res uno
tantum in-
stante exi-
stens dici
possit dura-
re.

Duratio duobus modis sumi potest: primo, pro permanentia in esse: quo sensu res unico tantum instante existens, non potest dici durare, cum permanentia duo, saltem instantia involvat, seu quod res retineat esse, quod habuit. Alio tamen modo sumitur duratio, nempe, ut sit determinatio per quam res hoc potius tempore existit, quam alio: secundum quam acceptionem, res unico tantum instante existens dici posset habere durationem.

II.
Prima sen-
tentia negat
durationem
distingui.

Quoad secundum: prima sententia negat durationem distinguere ab existentia rei durantis. Ita Scotus in 2. d. 2. q. 2. Okamus. & Gabriel ibid. q. 11. Val. 1. p. q. 10. p. 1. §. Quoad 2. Suar. d. 50. Met. f. 1. n. 5. Molina 1. p. q. 3. a. 4. ad 2. circa medium: Vasq. 1. p. d. 13. c. 4. n. 18. & 19. Pererius 1. 12. Phys. c. 5. concl. 3. Tolet. in Logica, de Prædicam. c. 10. f. 2. de Quan- do: Hurt. d. 17. Met. f. 3. n. 37. Oviedo contr. 16. Phy. p. 1. n. 16. & ex recentioribus non pauci.

III.
Secunda
sententia
ait duratio-
nem à re
distingui.

Secunda sententia affirmat durationem distinguere realiter ab existentia rei durantis. Ita S. Bonav. in 2. d. 2. p. 1. a. 1. q. 1. Salas 1. 2. d. 2. f. 12. n. 122. Com- nib. in c. 2. Categor. Arist. q. 3. a. 1. & in Phy. 1. 4. c. 14. q. 2. a. 2. Rub. 1. 10. de Prædi. q. unica n. 18. Murcia 1. 4. Phy. d. 3. q. 4. §. dico tertio. Arriaga d. 15. Phy. f. 1. n. 5. & plurimi ex recentioribus.

IV.
Duratio
distinguitur
à re duran-
te.

Conclusio: Dicendum cum auctoribus secundæ sententiæ, durationem distinguere à re durante. Prob. primò, potest existere Petrus, & non correspondere huic tempori, sicut existere potest, & non corres- pondere huic spatio, ergo sicut propterea ipsi addi- tur ubicatio & entitas aliqua distincta, quæ ipsam determinet seu applicet & affigat huic spatio potius quam alteri, ita & habere debet aliquid distinctum à sua entitate, per quod determinetur, applicetur, & affigatur huic tempori potius quam alteri, cum Pe- trus ex naturâ suâ non magis sit in hoc tempore, quam in hoc spatio.

V.
Assignatur
disparitas
inter locum
& tempus.

Dices primò; latam esse disparitatem quoad hoc inter locum & tempus, nam potest existere & Pe- trus & hic locus, & tamen Petrus non correspon- dere, seu coexistere huic loco, ut constat, at non po- test existere Petrus & hoc instans, quin Petrus ei co- existat, cum coexistentia non sit aliud quam duor- um existentia. Contrà, potest existere Petrus & hoc instans, & tamen Petrus non coexistere huic instanti, ergo. Probo antecedens, Petrus potest existere heri, & hoc instans hodie, quin Petrus coexistat huic in- stanti, potest enim Petrus mori ante hoc instans, er- go potest existere Petrus, & hoc instans, & tamen Petrus non coexistere huic instanti. Dices; non pos- sunt existere simul quin Petrus illi coexistat. Contrà, ergo existere Petrum, & hoc instans simul, est ali- quid aliud, quam existere Petrum, & existere hoc instans, ergo istud simul habere debent per aliquid aliud, cum utrumque esse possit in rerum naturâ, quin sibi invicem coexistent, seu sint simul.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Dices secundò cum P. Hurt. citato; ideo requiri ubicationem distinctam, non durationem, quia cum spatio imaginarium sit quid fixum, debet fieri mu- tatio in mobili, seu re ubicata: at verò cum tempus imaginarium sit quid fluidum, & successivum ex na- turâ suâ, non est opus ut fiat mutatio in re ipsâ, sed sufficit mutatio in tempore, ad hoc ut dicatur res correspondere diversis partibus temporis. Sicut ut arbor sita in flumine diversis aquæ partibus corres- pondeat, non est opus ut arbor mutetur, sed sufficit sola mutatio aquæ.

Contrà primò, saltem in primâ productione rei necessarium est aliquod determinativum, cum po- tuisset esse hoc tempus, & produci Petrus, & tamen Petrus non correspondere huic tempori, nec fuisse in illo productus, sed in alio. Contrà secundò, Petrus ex se est indifferens ut existat, vel non existat cras, quantumcunque fluat tempus imaginarium, ergo hoc quod est connotare crastinum tempus, seu illi coexistere, est aliquid aliud præter entitatem Petri, cum illa ex se sit indifferens ut coexistat, & corres- pondeat crastino tempori, vel non: idque quantum- cunque tempus fluat, ut dixi.

Dices; posito quoddam Deus producat rem in instan- te A, & non suspendat concursum in sequente in- stante B, sufficienter intelligitur rem illam correspon- dere instanti B, sine aliquo alio determinativo. Con- trà, suspensio concursus est negatio concursus, ergo non suspensio concursus est ipse concursus, sicut non negatio frigoris est frigus, & non negatio ho- minis homo, sed concursus ex se est indifferens ut continuetur, & existat sequente instante, seu ad du- randum & coexistendum sequenti tempori imagi- nario, ergo addi ipsi debet aliquod determinati- vum.

Dices; Deus determinat volendo ut illi tempori coexistat. Contrà, & sit secunda probatio conclu- sionis; voluntas Dei non alio modo determinat ad extra, quam aliquid efficiendo; si enim determina- ret formaliter, res illa fuisset ab æterno, cum volitio Dei fuerit ab æterno: ergo aliquid debet efficere præter rem illam, nam res ex se, præcisè quoddam pro- ducatur, non petit est nunc, ergo debet Deus velle aliquid aliud præter entitatem rei, ut constet fusiùs ex dictis supra d. 34. f. 2. & 3. dum de ubicatione. Ad illud de arbore in aqua sita dicitur sec. sequente n. quinto.

Tertiò probatur auctoritate Patrum, qui in hoc durationem creaturæ distinguunt ab æternitate Dei, quod æternitas Dei sit tota simul, duratio verò crea- turæ nequaquam, sed habeat præsens, præteritum, & futurum: quod tamen dici non potest nisi habeat distinctam durationem distinctam ab entitate, entitas enim An- geli tam est indivisibilis, & tota simul, quando est, ac æternitas Dei.

Quartò probatur: potest Deus velle Petrum esse futurum, & crastinum diem, vel Paulum esse futu- rum, & tamen non velle Petrum esse cras, aut coexi- stere Paulo, sicut de facto vult Anti-Christum esse futurum, & diem crastinum esse futurum, & tamen non vult eos esse futuros simul, ergo tunc vult Deus aliquid distinctum.

Probatur quintò; Petrus existens in instanti A, po- test illo instante petere à Deo, ut ipsum conservet.

VI.
Dicunt spa-
tium ima-
ginarium
esse quid fi-
xum, tem-
pus autem
esse fluidum.

VII.
Resp. fluxit
temporis
non auferre
necessitatem
durationis
distinctæ.

VIII.
Duratio
non est ne-
gatio sus-
pensionis
concursus
Dei.

IX.
Voluntas
Dei non de-
terminat
formaliter,
sed efficien-
ter.

X.
Probatur
ex Patribus
duratio di-
stincta.

XI.

XII.

H h 2

pro

Quid petit
Petrus dum
orat ut Deus
ipsum con-
servet se-
quente in-
stante?

pro sequente instante, vel tempore. Inquiro, quid tunc petat Petrus? non petit suam existentiam, illam enim jam habet, nec tempus reale, seu ut coeli continent suum concursus, primò, quia hoc non est necessarium ad conservationem ipsius, cum licet coeli non moverentur, adhuc posset is conservari, sicut de facto conservabuntur homines post diem iudicii, cessante omni motu coeli. Nec etiam petit tempus imaginarium, hoc enim inaniter peteretur, cum necessario semper fluat: sicut inaniter peteret quis à Deo, ut existeret negatio Chimææ, cum existeret necessitas: ergo petit aliquid distinctum à suâ entitate, & tempore extrinseco sive reali, sive imaginario.

XIII.

Aliud est
velle Deum
aliqua, aliud
velle
illa esse si-
mul.

Dices; petit ut Deus velit ipsum esse ens actu sequente instante. Contrà, potest Deus velle ipsum esse ens actu, & velle sequens instans, & tamen non velle ipsum esse ens actu sequente instante, seu velle ipsum esse ens actu & sequens instans simul, ergo velle Deum ipsum esse ens actu sequente instante, seu ens actu simul cum illo instante, est quid distinctum, & diversa voluntas Dei.

S E C T I O II.

Argumenta contra Durationem distinctam.

I.

Obj. posse
durationem
Gimme-
diatè sub-
qui duratio-
nem A.

Objicit primò P. Oviedo: si Duratio sit accidens, vel aliud quodcumque à rei (Petri ex. g.) existentia distinctum, sequitur, posse Deum efficere, ut Petrus durans hodie, seu primo Martij anno 1647. dureret immediatè post, primo Martij anno vertente: ita ut dum reliqui homines durant secundo Martij 1647. ipse dureret primo Martij 1648. vel etiam anni 1700. sequela probatur, si enim Duratio sit entitas à rei existentia distincta, potest Deus entitatem hanc nullo intervallo interposito, immediatè post durationem hodiernam producere, sicque Petrus immediatè post durationem hodiernam, durabit primo Martij anni sequentis.

H.

Satisfit ob-
jectioni su-
prà posita.

Hoc argumentum in meâ sententiâ, qui, sicut spatium imaginarium suprâ d. 33. f. 2. constitui in negatione quarundam ubicationum, ita disp. præcedente sec. 2. tempus imaginarium situm similiter esse dixi in quibusdam negationibus durationum essentialiter fluentibus, nullam habet difficultatem. Dico itaque, sicut Deus per nullam potentiam producere potest ubicationem Matritensem Londini, aut efficere ut unio inter animam & corpus Petri sit unio inter animam & corpus Pauli; ita nec efficere potest, ut duratio crastina existat hodie, cum terminus ipsius, pars scilicet crastina illius negationis, seu temporis imaginarij hodie poni non possit: sicut secundum P. Oviedo tempus possibile crastinum per nullam potentiam poni potest hodie.

III.

Obj. non
sunt multi-
plicanda
entia sine
necessitate.

Resp. osten-
dendo neces-
sarietatem.

Objicies secundò: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hic nulla est necessitas, ergo: Probatur minor, ipso facto quod detur hoc aggregatum Petrus existens, & hoc instans existens. Petrus necessario correspondet, & coexistit huic instanti, & in eo durat, licet nulla alia entitas superaddatur. Resp. negando minorem: ad probationem nego suppositum, nempe, posse dari hoc aggregatum Petrus & hoc instans simul, nisi aliquid aliud addatur, præter entitatem Petri existentem, & existentiam instantis, ut suprâ ostensum est.

IV.

Obj. rem
permanentem
coexistere
per se rei
successivæ.

Objicies tertio: quando aliqua duo ita se habent, ut alterum sit successivum, alterum permanent, potest id quod est successivum, per se tollere indifferentiam rei permanentis ad correspondendum ipsi, absque eo quod res permanentis omnino mutetur. Conf. Deus sine ullo superaddito correspondet & coexistit variis rebus creatis incipientibus, & desinentibus

indies, ergo sufficit mutatio ex parte alterius, ad hoc ut complexum dicatur mutari, nec est necessarium utrumque extremum, seu partem complexi mutari.

Ad argumentum distinguo antecedens, si res permanens sit per se, vel aliquid aliud determinatum ad permanendum vel correspondendum successivo illi, vel quoad locum vel quoad tempus, concedo antecedens; si non sit, nego. Et per hoc patet ad id quod sec. præcedente n. 6. objiciebatur de arbore in fluvio sita, quæ cum habeat ubicationem, quæ figuratur in illo loco permanentem, nil mirum si correspondat diversis partibus aeris, & aquæ præterlabentibus: at res istæ per se, & per suam entitatem non sunt determinatæ ad permanendum, vel ad unum, vel duo instantia, aut partes temporis, quantumcunque ergo instantia illa sibi invicem succedant, res tamen absolutæ habere debent aliquid aliud determinativum, per quod determinentur ad permanendum sequente instante.

Per quæ etiam patet ad confirmationem: Deus enim ex essentia suâ est determinatus per æternitatem ad coexistendum omni tempori reali, & imaginario, estque ex natura suâ semper permanens. Petrus autem, vel Angelus ex natura suâ non est permanens essentialiter, nec ad unum, nec duo instantia, si enim peteret essentialiter permanere ad duo instantia, non posset à Deo destrui secundo instante, postquam est creatus.

Objicies quartò: tempus ipsum, quia fluidum, non requirit aliquid aliud, per quod coexistat rebus permanentibus, ergo nec è contrà res ut coexistant tempori: & idem est de loco. Resp. tempus & locum imaginarium ex essentia suâ habere esse hic & nunc, & consequenter ipso facto quod res à tempore & loco absolutæ ponantur hic & nunc, per suas durationes & ubicationes, possunt ipsis sine ullo superaddito correspondere tempus & spatium imaginarium. Non tamen propterea res absolutæ sunt per se determinatæ & correspondendum ipsis, cum sint ex se indifferentes ad existendum vel non existendum hoc tempore, & loco imaginario, potius quam alio.

Objicies quintò: pro aliquo priori debet res esse in primo aut secundo instante, quam in iis duret, si ergo producat suam durationem, prius habet effectum formalem durationis, quam habeat durationem. Hoc etiam argumentum urget P. Oviedo citatus p. 1. n. 18. Contrà, idem argumentum fieri posset de ubicatione, quam tamen Oviedo, & multi ex adversariis concedunt. Resp. itaque durationem universim educi ex potentia rei durantis, illud enim prius in argumento propositum, solum est prioritas naturæ, seu causalitatis, unde pro illo priori solum intelligitur substantia rei terminans actionem, non tamen terminans eam pro illo priori hoc vel illo instante, is enim est effectus formalis durationis, quam pro illo priori non habet.

Sicut ergo prius natura est res, quam sit in loco, ita prius natura est, quam sit in hoc tempore, ac proinde in illo priori non magis petit esse in hoc tempore quam in alio. Dices; ergo pro illo priori est, & tamen est in nullo instante, vel tempore. Distinguo consequens, est in nullo præcisivè, id est, non determinatur in illo priori ad ullum tempus sed præcisdit ab omni, concedo consequentiam; est in nullo negativè, id est, pro illo priori intelligi potest cum negatione determinationis ad omne tempus, nego. Quam responsionem latius prosequutus sum suprâ d. 34. in simili de ubicatione. Addo, non omnes qui dicunt rem producere suam ubicationem, dicere eam producere suam durationem.

Objicies sextò: res per se, & sine aliquo distincto coexistit

V.
Quando res
permanens
correspondet
per se
rei successivæ.

VI.
Cur Deus
per se coexistat
omni tempore.

VII.

Cur tempus
per se cor-
respondat
rebus per-
manentibus.

VIII.
Prioritas
naturæ non
obstat pro-
ductioni
durationis.

IX.
Declaratur
prioritas
naturæ in
productione
durationis.

X.

*Cap. res
permanens
correspon-
deat per se
sue dura-
tioni.*

coexistit suis durationibus, ergo & eodem modo coexistere posset temporis. Contra, res per se, & sine aliquo distincto correspondet suis ubicationibus, ergo eodem modo correspondere posset spatio. Idem est in materia & forma respectu unionis. Resp. ergo negando consequentiam: disparitas est, duratio enim, cum sit determinatio rei ad tempus, eadem opera determinat rem ad ipsam durationem, alioqui procederet in infinitum: tempus autem est indifferens ut res ei coexistat, vel non coexistat.

SECTIO III.

Alia quedam circa naturam Durationis.

*I.
Sine pos-
sibili du-
ratio indi-
visibilis.*

Primum est, utrum dari possit duratio aliqua indivisibilis, quæ correspondeat per se, & essentialiter pluribus partibus temporis, ut integra hora, vel dici? Affirmat P. Ariaga d. 15. Ph. l. 2. a. 64. imò addit dari Angelum posse qui petat essentialiter durare per horam, vel diem.

II.

Exinde putant aliqui repugnare huiusmodi durationem, quod repugnaret huiusmodi duratio perfectæ libertati & dominio Dei: si enim ex essentialiter petat durare per diem, debet Deus si illam producat, conservare per integrum diem, & consequenter non posset destruere quando veller, quod obstat ejus libertati.

*III.
Duratio
petens du-
rare per
horam non
derogat do-
minio Dei.*

At certe hanc rationem non puto efficacem: primo, quia non magis repugnat perfectio dominio Dei non posse aliquid destruere quodcumque vult, quam non posse aliquid producere quodcumque vult, cum productio non minù spectet ad perfectam dispositionem de re aliqua, & ad dominium, quam destructio: sed Deus non potest rem quamlibet producere quando vult, ergo. Probatur minor, secundum multos non potuit omnino quidquam producere ab æterno, ergo per totam æternitatem non potuit de re ullâ disponere pro libito. Deinde secundum multo plures non potuit producere tempus ab æterno, nec pariem temporis modum in instante, aut è contrâ, ergo non potest quidlibet producere pro libito quocumque tempore, ergo similiter non obstat perfectæ libertati & dominio Dei duratio nem illam, postquam semel producta est, non posse nisi post horam destruere.

*IV.
Vltimus
ostenditur
talem du-
rationem
non obsta-
re liberta-
ti Dei.*

Secundò ostenditur hoc idem: nam non potest Deus producere durationem dici crastine hodie, sed debet expectare usque in diem crastinum. Nec ubicationem Romanam producere potest hic, aut alibi quàm Romæ. Dices; hæc non posse Deum quia repugnat tempus ab æterno, duratio crastina hodie, ubicatio Romana hic &c. Contrâ, etiam repugnat durationem illam destrui ante finitam horam, ergo si impossibilitas ibi facit quo minùs illa sint contra perfectam libertatem, & dominium Dei, faciet & hic: & sicut non est contra libertatem & dominium Dei, non posse facere id quod fieri non potest, ita nec est contra ejusdem libertatem non posse tollere, quod tolli non potest: sicut nec est contra omni- scientiam non posse cognoscere quod cognosci non potest, ut hominem esse equum.

Perfectissime ergo salvatur libertas & dominium Dei in eo quod in potestate Dei fuerit creaturam illam omnino non produxisse, præsertim cum sciverit Deus, si eam produceret, debere se illam conservare per horam: cum enim illam producit hoc sciens, ipso facto quod velit producere, vult eam durare per horam.

V.

Dices; hinc sequi, Deum non esse infinite liberum, vel saltem non esse liberum omni libertate possibili: patet sequela illa libertas esset major, quàm posset destruere durationem hanc sequenti, & quolibet instante postquam eam produxit. Resp. negando sequelam, ad probationem nego suppositum: nulla enim est libertas & dominium possibile ad illud eo instante tollendum, quod illo instante tolli non potest. Sicut si quis argueret, Deum non habere maximam potentiam, quia non potest producere hippocervum, cum illa potentia esset major, quàm eum posset producere. Negatur ab omnibus suppositum, nempe, talem potentiam esse possibilem. Idem est in præsentia. Addo, sicut non est contra dominium Dei non posse hanc durationem uno instante citius producere, quàm petat produci, ita nec est contra ejus dominium, non posse eam uno instante citius destruere, quàm petat destrui.

VI.

*Dicitur hinc
sequi Deum
non esse per-
fectissime
liberum.*

*Resp. talem
libertatem,
& potenti-
am non esse
possibilem.*

Ex alio tamen capite existimo implicare huiusmodi durationem entitative indivisibilem, quæ coexistere petet successivè diversis partibus temporis, seu spatio divisibili. Ratio à priori est, quia cum sit indivisibilis, ut supponitur, non potest habere partes, & consequenter in singulis instantibus, & partibus unius horæ deberet habere totam suam essentialitatem, sed in singulis non posset habere totam suam essentialitatem, ergo. Major est certa, cum sit indivisibilis, sicque tota correspondere debet singulis instantibus illius horæ. Minor probatur, essentialitatem ipsius est actualiter coexistere toti horæ, sed singulis instantibus non coexistit toti horæ, cum in primo instante non coexistat ultimo quadranti illius horæ, sicque in primo instante haberet reale prædicatum, quod non habet in secundo, & sic de alijs instantibus ergo in singulis non haberet totam suam essentialitatem. Plura hæc de re in præsentia non addo, quia hanc durationem in simili impugnavi supra d. 13. l. 5. de ubicatione & unione indivisibilibus: quæ impugnatio- nes à fortiori urgent de duratione indivisibili.

VII.

*Implicat
huiusmodi
duratio in-
divisibilis:
& quare.*

Secundum quod circa durationem inquirimus, est, per quid durent negationes? Ad hoc disp. præcedente, l. 2. n. 3. dixi durare per negationes, vel pri- vationes potius durationum rerum positivarum, quibus apponuntur.

VIII.

*Per quid
durent ne-
gationes.*

Tertium est, utrum duratio sit modus? Resp. non esse necessariò modum respectu rei durantis, sed solum respectu spatij. De quo latè dictum est in simili, d. 34. l. 3. n. 3. dum de ubicatione.

IX.

*An dura-
tio sit mo-
dus.*

Quartum est, quibus rebus diversa competat duratio? De hoc etiam dixi d. 34. l. 5. n. 5. eodem enim modo hæc in re philosophandum est, ac de ubicatione.

X.

Quintum, utrum possit res spoliari omni duratione, seu esse & nunquam esse? Huic etiam diffi- cultati satisfactum est supra d. 33. l. 6.

XI.

*Positum
res esse sine
duratione.*